

Itaque profecti viam carpebamus, cum ecce impegimus in quandam viam luto et paludibus coenosam et pręruptis anfractibus discessam, quam quisque nostrum, prout valebat, citius evadere gestiebat. At senior iam gravis ęvo inexpedite se agens et carens viribus, cum iam poene et ipse videretur evasisse, subito ęquo labitur et ad terram corruens, calce aequi graviter in latus impellitur. Ex nobis alii iam praecesserant, alii subsequebantur. Ad clamorem vero tanti casus simul omnes concurrimus et eum velut sine voce iacentem repperimus. Deus bone, quę tunc in illo clamoris angustia vel in nobis angoris fuit mestitia! Quisnam etsi ferreum possidens pectus, tali viro ita conliso, se contineret a luctu? Verum accepto consilio, praeparata lectica, eum super imposuimus et retro repedantes ad monasterium sancti Panchratii martyris non longe ab urbe¹ reportavimus. Subsequenti autem die Romam intrantes ad notum hospitium Aventini montis devertimus, cum iam rumor praecurrens maximam urbem orbis² turbine huius meroris commovisset. Tunc patuit mira benignitas papę Clementis, qui eundem patrem sepe cum principalibus viris invisere studuit et dulcibus verbis relevare non destitit. Presul quoque Malfitanus³ nomine Laurentius⁴ greco latinoque famine peritus, cuius dulcedo eloquii et affabilitas profundi ingenii magnum praestabat temperamentum remedii. Afflictus itaque collisione totius corporis vir beatus direxit epistolam Cluniaco, fratrum implorans oratum, clamitans se, ut ipsius verbis loquar, reum et in eorum providentia minus fuisse sollicitum, flagitans quoque, ut sacrificium sacre oblationis pro eo studerent offerre, 'quia confisus', inquit, 'de suffragiis dominorum meorum apostolorum spero me iam de hac corruptibili carne exiturum'. Quid tunc in illo sacro conventu dictum factumve fuerit, qui adfuerunt, rememorari possunt. Perstitit ergo vir Dei pertesus iam dicto languore poene usque ad initium XL^{me}⁵, indeque Deo miserante paulatim coepit convalescere. Voluerat statim exire ab urbe, nisi prece domni Clementis papae retentus fuisset usque ad diem pasche. Per totam igitur quadragesimam infatigabilis in Dei opere mansit, lustrans universa per circuitum loca sanctorum martyrum. Et ecce iterum permissu superni iudicis flagellum inundans transiit super eum ipsa, qua populus christianorum die⁶ obvia fert Domino ramos palme et olivarum.

Et per totam illam ebdomadam, qua Domini passio recolitur vel celebratur, omnium artuum dissolutione acriter fatigatur a Deo, ut de eius recuperatione desperare cogeremur. Cerneres

1) Im Westen der Stadt, südlich der alten Via Aureliana, die nach dem Meere führte. 2) 'urbis' hs. 3) Ursprünglich 'malfiticus', 'ic' durch Punkte getilgt und in 'an' corrigiert. 4) Vgl. über ihn Giesebrecht, D. Kaiserzeit II⁵, 411. 5) 4. März. 6) 12. April.